



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XVIII. De consanguinitate & affinitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
 CHRISTI  
 1322.

præsentem constitutionem frequenter faciant pu-  
 blicari.

XVIII.

Cum generalis Concilii Viennensis statu-  
 tum eos qui in gradu prohibito nuptias contra-  
 hunt, excommunicationis decernat sententiæ sub-  
 iacere, & prælati circa eius publicationem fuerint  
 hætenus negligentes: statuimus, & in virtute san-  
 ctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, vt ipsi  
 ecclesiarum prælati in cathedralibus & parochia-  
 libus ecclesiis, quatuor anni festis præcipuis, & in  
 diebus dominicis quadragesimæ, dictam genera-  
 lis Concilii constitutionem faciant publicari.

XIX.

Detestandam prælatorum auaritiam, ac alio-  
 rum qui iurisdictionem ecclesiasticam in ecclesiis  
 obtinent, quæ labem simoniæ continet, extir-  
 pare volentes, sacro approbante Concilio statui-  
 mus, vt nullus archiepiscopus, vel episcopus, abbas,  
 archidiaconus, archipresbyter, aut quiuis alius,  
 ad quem spectat clericorum præsentatio, officia-  
 les eorum seu portarii, pro ordinibus collatis seu  
 conferendis, vel quocumque actu vel \* licentia ip-  
 sos ordines præcedente, quidquam recipere au-  
 deat: alioquin si laicus fuerit, ipso facto senten-  
 tiam excommunicationis incurrat: si vero clericus,  
 qui nondum ecclesiasticum beneficium obtinet,  
 vsque ad biennium eo ipso reddatur inhabilis ad  
 ecclesiasticum beneficium obtinendum: si autem  
 beneficiatus extiterit, vt decanus, archidiacono-  
 nus, abbas sæcularis, archipresbyter, vel quiuis alius

\* litera